

minorum) et episcopis diversis, eciam filio suo¹⁸⁰⁾ lantgravio Alsacie^{b)}, et omnibus, [quibus]ⁱ⁾ confidebatur, presertim domino Conrado Wernhero militi^{k)} de Hatstat¹⁸¹⁾, fideli advocato suo in Alsacia, quatenus cum omnibus armatis, quibus possent, in adiutorium sibi subito pervenirent^{l)} revelans eis in scriptis: Si circa festum nativitatis beate virginis Marie non veneritis, poterit michi in maximum cadere detrimentum etc. Rex Ungarie regem Rüdolphum clementer exaudivit et ad civitatem Viennensem cum quatuordecim milibus hominum venit ad prelium preperatis. Ex Austrie partibus congregaverat multos milites cum dextrariis falleratis^{m)}. Habebat insuper civitatem Viennensem cum multis ad bellum hominibus preperatis. Sed in his omnibus rex minime confidebat nec cum eis ausus fuit regem Bohemie dimicare. Spectabat enim filium suum¹⁸²⁾ venturum cum aliis, quibus scripsit, qui pro se res et corpora periculo commississent, etⁿ⁾ si hii non omnes tamen sine dubio maior pars venirent. Cum autem ad sibi determinatum tempus milites predicti venire minime potuissent, turbatur rex Romanorum supra modum. Fuerat enim intra se desolatus et universo consilio et auxilio destitutus. Preterea cives Viennenses ad eum venerunt dicentes: Domine, vestri vos dereliquerunt nec habetis homines, per quos regi Bohemie resistere valeatis. Rogamus vos, quatenus dominum nobis nos eligere permittatis, ne nos cum nostra familia pereamus. Tunc eos supliciter deprecatur dicens: Tempus adhuc modicum sustineatis, ut videamus, quid facere debeamus. Ex tunc iussit castrum fideliter custodiri. Insuper servis suis minoribus pariterque maioribus, ne quis alicui qualibet occasione vel superbe vel contumaciter responderent: Posset hoc nobis omnibus evenire in rerum et corporum detrimentum.

Rüdolpho rege sic in periculo constituto congregavit dominus Hainricus episcopus Basiliensis¹⁸³⁾, frater ordinis fratrum minorum, vir sapiens atque discretus et regi Rüdolpho fidelissimus amicus et Conradus Wern-

250, 6—32

b) *offenkundige Textverwirrung*
in der Hs., die et lantgravio
Alsacie, episcopis diversis, eciam
filio suo *hat*.

i) *fehlt in der Hs.*

k) Conrado — militi *Korrekturzusatz*

l) Hs. *pervenire*

m) Hs. *valleratis*

n) *pro se — commississent et*
Korrekturzusatz

¹⁸⁰⁾ *Albrecht von Habsburg, gest. 1308.*

¹⁸¹⁾ *Konrad Werner von Hattstatt d. Ä., Schultheiss von Schlettstadt 1256, Landvogt im Elsaß seit 1274.*

¹⁸²⁾ *Albrecht*

¹⁸³⁾ *Heinrich IV. Knoderer 1275—1286.*